

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA SECVNDA HEBDOMADAE QVARTAE QVADRAG., EPIST., 3. Reg. 3.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

FERIA SECUNDA

qui confurgitis mane, &c. Siquidem scriptura teste, Ecclesiastici 14. Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia. Vide etiam Ecclesiastici 10.

5 Quinto, Quod facto miraculo fugit Christus, significat quantæ virtutis sit opes, diuitias & potetia fugere: non quod omnino mala sint. Sunt enim bona Dei dona, vt ostendit August. Epistola 89. Non enim est potestas nisi à Deo, Ro. 13. Atqui docere voluit Christus se à Patre non esse missum, vt armorum potentia, populi multitudine, vel Regio fastu politicam administratione gubernaret, vt etiamnum somniat cæci ludari: sed vt fieret victima & sacrificium, pro peccato, vt in cordibus fidelium dominaretur, fide, spe, & charitate, quibus perfecta consistit iustitia, & remissio peccatorum obtinetur per Christum, qui solus iustificat impium. Hæc enim longè sublimiora erant illis externis, quæ admirari solet mundus. Atque ad hæc vt se venisse demonstraret Christus, fugit in desertum: ipso facto demonstrans, quantum sit ambitio, superbia, & iactantia in re: Et factis cauenda: Ea est enim industria dæmonis, vt norit his artibus etiam optimas virtutes corrumpere. Quare hæc vitia semper omnibus piis sunt metuenda.

FERIA SECUNDA HEBDOMADA

QUARTAE QVADRAGE. EPIST. 3. REG. 3.

Tunc Venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, steteruntque coram eo, &c. Finis Epistolæ: Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri, &c.

*Improbam
duarum me-
retricum con-
tentio.*



CONTINET hæc Epistola tria.

1 Primò, Improbam duarum meretricum contentionem infantis viui causâ. Quarum vna alterâ infanticidij accusat coram Rege Salomone, quæ admirabili sapientia iudicio acutissimo, & iustitia summa Deo præ cæteris terræ Regibus ornata, vt meritò in tā iuuenili ætate (12. enim tatum erat annorū) admiranda fuerit eius prudetia, vtpote humana industria parta, sed diuinitus concessa. Voluit enim hunc

typum gerere veri Regis Christi, qui suos diuinitatis potētia, virtute verbi, & scuto fidei tam defenderet ab aduersariis potestatibus, tum discordes variis opinionibus ad fidei cōcordiā redigeret, Iohā. 10. Etenim quā discordibus sententiis ante Christi aduentū mundus laborarit, ex Philosophorū, vel solis nominibus intelligi potest, dū ab Academicis dissentiunt Stoici: à Stoicis Epicuræi: ab Epicuræis Platonici, cōtendentes de vera fœlicitate, quā ne ipsi quidem intellexerunt. Quæ cōtētio antē dissolui nō potuit, quā verus Salomō Christus, qui factus est nobis à Deo Patre, sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, in quibus est hominis vera fœlicitas, aduenit qui non humana prudentia, sed virtute verbi contentionē dissoluit. Patres hoc dissidiū mulierum de infante viuo, & mortuo referunt ad altercationem synagoga, & Ecclesiæ: quæ verò, Salomone præsente, hoc est, Christo iā reuelato, orta est de obseruatione legalium caeremoniarū, volēdo infantē viuū, gratiā, scilicet, noui testamenti, diuidi admixtione legalium.

2. Secundo, Defensionē vnius accusatæ, quæ non constat aliqua euidenti probatione, testium productione, circumstantiarum allegatione, sed sola facti negatione cum iniuriæ illatione. Respondet autem defensio accusationi, quæ nuda narratione constabat, vt difficillimū fuerit verum deprehendere, vtrinque saltem vel verisimili probatione deficiente, quæ pulchrè nobis refert Stoicorum, Academicorum, Platoniorum, & Peripateticorum, Epicuræorumque de summo bono disputationes: quæ licet lectoribus videantur variis argumentis, probationibus, & rationibus confirmari: tamen si ad rationis & fidei limam exigas, vix aliud, quā nudā inuenias sententiæ assertionē, addita iniuriarum cōgerie in eos, qui contrariā sequuntur sententiam, quod vnius Aristotelis scripta abundè testantur. Atque eodē planè passu pro infāte viuo, veritate, scilicet, fidei, & vero scri-

Salomō
typus Christi.

Hæretici non
siri temporis
non minus
inter se, quā
cū Catholici
pugnant.

*Calviniste
nunquam
que suis reve-
lationibus
esse relinque-
dum docet.*

*Verus scri-
pturarum in-
tellectus in
Ecclesia.*

& infanticidij sese mutuo accusant, falsitatis, nimirum, scripturarum. Atque eò periculosius est hoc certamen, quòd veri iudicis tribunal vereantur adire. Sed contra ordinem iuris seipsos, de quo est controversia, id est, scripturarum nullum prorsus iudicem statuunt, ut Lutherus, qui sese velut orbis aristarchum statuit, Calvinus & Melancthon, qui semper ad scripturas appellant, & Suuencfeldiani, & Enthouiastra, qui nunquamque suæ conscientia esse relinquendum, aut suis revelationibus docent.

3 Tertiò, Iudicium Salomonis, quo per inhabitantem spiritum sapientiæ, potuit veram infantis viui matrem ex ipso naturæ instinctu deprehendere: Naturam enim intelligebat infanticidij crudelitatem, sanguinis materni effusionem, & prolis propriæ eadem abhorre. Id eò certius quam vel ex testibus, quos sæpe falsum deponere contingit, vel ex circumstantiis, quæ fallere subinde solent, posset, iudicium profert. Prolata nanque de occidendo infante viuo sententia, veræ matris commota sunt viscera, ut malit dulcissimo suo carere pignore, quam tantum nefas aspicere. Ut contra quæ sine partus dolore alienæ prolis beneficio frui volebat, stimulos non experta natura, ratam petit iudicis sententiam, sed falsi conuicta, causa cadit, dum iniquè petit. Vtinam nunc tandem contententibus hereticis, schismaticis, & contentiosis cum Catholicis de summa religionis Christianæ, id est, veritate fidei & scripturarum, in qua salutis nostræ cardo versatur, addit verus ille Salomon Christus, qui spiritu oris sui veram viui infantis matrem prodar, fraudes hæreticorum, perfidia sua infantem opprimantium: eam, nempe, quæ secundum pietatem est veram doctrinam detegat, ut lite sopita, omnes unam agnoscant Ecclesiam Christi sponsam, quondam quidem meretricem, dum idololatriæ seruiret: nunc verò mundatam in sanguine Christi: cui & infantem viuum dedit, dum Apostolis aperuit sensum ut intelligerent scripturas. Errat enim quisquis alibi quam in vera Christi Ecclesia, quæ columna, & firmamentum est veritatis, verum scripturarum intellectum inuenire se posse credit. In hac est spiritus ille, qui docet omnem veritatem, quem

quem qui in Ecclesia esse negauerint, aliud nihil, quam
ut improba hæc meretrix, dissecari infantem viuum pe-
tūt, dum pro suo arbitratu impiè scripturas deprauant,
ut solent indocti, & instabiles, ad suam ipsorum perdi-
tionem, 2. Pet. 3. Quò fit, ut iusto Dei iudicio, quemad-
modum aliena hæc meretrix ab infante viuo, ita illi à
vero excidant scripturarum intellectu, excæcantes eos
malitia ipsorum.

FERIA SECUNDA HEBDOMA-
DAE QVARTAE, EVANGELIUM,

Iohannis 2.

*Et propè erat pascha Iudæorum, & a-
scendit Iesus Hierosolymam, & inuenit in
templo vendentes oues & boues, & columbas,
& numularios sedentes, &c. Finis Euangelij:
Ipse enim sciebat quid esset in homine.*

Eo c Euangelium magnum Christi Zelum,
quem erga eos, qui pietatis & religionis præ-
textu impunè peccabant, ostendit: Docens
quodnam præcipuum esse debeat munus.

1. Primò, Episcoporum & aliorum Pastorum, quos po-
suit Spiritus sanctus regere Ecclesiam, quam acquisiuit
Christus sanguine suo, Act. 20. Ephes. 4 nempe flagello
è funiculis facto abigere vendentes, ementes, & numu-
larios è templo, atque etiam boues, oues, columbas, &
æc eiicere: Nullus enim periculosior morbus Ecclesiam
inuadere potest, quàm qui pietatis, & religionis prætex-
tu Ecclesiam vastat. Non minus enim eam offendit im-
proba multorum, qui quæstum æstimant esse pietatem, hy-
pocritis, auaritia, & Simonia, quæ hæresis, lasciuia, & e-
brietas. Ex vna etenim radice prauæ concupiscentiæ, il-
la & quæ atque hæc nascuntur: nec minus turbarum præ-
riunt illa quàm hæc: aded ut omnis præsentis in Eccle-
sia Tragœdiæ causa sit impia Simoniacorum, & hypo-
critarum apertos errores defendentium proteruia. Hos
certè non decet Episcopos & Pastores in spiritu lenita-
tis, & mansuetudinis excipere, ut monet Apostolus, Gal.
6 sed, ut hoc facto suo docet Christus, magna seueritate

*Munus E-
piscoporum et
aliorum Pa-
storum.*

coërcere. Donec enim in iis, quæ ad morum reformationem attinent, officio suo defuerint ij, quorum interest, scilicet, Episcopi & Pastores, nunquam huius mali, quo miserè iactatur Ecclesia, amolitionem sperare licebit.

*Ministrorū
authoritas
in Ecclesia
est in ædifi-
cationem.*

2. Secundò, Docet non satis esse ad veram Ecclesiæ reformationem, si impetu quodam feraris ad scandalorū ex Ecclesia extirpationem, sed zelum esse condiendum scientia & verbo Dei, ne pro antidoto venenum porrigas. Christus enim non tantum flagellis, & verberibus rem agit, sed eam ratione, & verbo Dei munit. Sola enim autoritas, si duobus hisce fulchris destituatur, nō solum non corrigit, sed magis destruet. Ministrorū autem Ecclesiæ autoritatem in ædificationē vult esse Paulus, nō in destructionem, 2. Cor. 13. Christus itaque numulariorum effuso are, & mensis prostratis, dixit iis, qui columbas vendebant, id est, qui necessitate potius quàm malitia peccabant, quales erant hi pauperes: taliū enim erant merces columbæ, sicut & ipsoꝝ peculioria sacrificia, *Auferte ista hinc.* Licet enim prima fronte videantur spectare ad Dei cultum, & gloriam promovendam, ne cui scilicet deesse possint ea, quæ in sacrificia aut corban offerant: vult tamen Christus omnia ea auferri, ex quibus scandali occasio nasci posset. Nō sunt enim facienda mala, ut inde veniant bona. Spectabant enim hi non Dei gloriam, sed suum quæstum & ventrem. Quos utinam hodie in multis non imitemur, ut ventris potius quàm Dei rationem habeamus, quos grauius perstringit Hierem. cap. 11. Quid est, inquit, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? hi certe mihi videntur, (ut de Simoniacis, quorum morbus longè est pestilentissimus Ecclesiæ, nihil dicam) qui quum pietatem & veram religionem sese defendere iactitant, omnia tamen ea quæ ad Dei cultum sunt instituta, in suum quæstum convertunt: non vasa tantum sacra, sed etiam quoad possunt loca ipsa in vsus profanos commutant. Quid est, si hoc non est facere domum Patris caelestis, domū negotiationis? Vide quæso, si hæc non rectius in nostri temporis hæreticos, quæ Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ ministros conueniant: qui licet iniquis pensionibus, beneficiorum plurali-

*Simoniaci
quæ ad Dei
cultum sunt
instituta, ad
suum quæ-
stum conuer-
tunt.*

tatibus, concubinato, quæ sanè grauissima sunt in Ecclesia scandala, illam defæderent, longè tamen grauiora taliù hæreticorum sunt facinora.

3 Tertiò, Quum domum Patris sui, non vult domum negotiationis fieri, manifestè Anabaptistarum, Svuenfeldianorum, aliorumque hæreticorum errores confutat, atque Catholicæ Ecclesiæ veritatem de conseruanda rerum, & locorum religione confirmat: nec peccare eos, qui loca sacra orandi causâ accedunt, modò absit superstitio, & falsa opinio, quam nos æquè, atque illi, detestamur, qua scilicet putent fideles Deum sic alicui loco alligatum, vt alibi exaudire nequeat. Non enim deterior est conditio Christianorum, quàm fuerit Iudeorum. Illos ergo, si in templo potuit audire orantes, cur non & nos poterit? Seruetur ergo templis suis honos: vult enim in illis orari Deus, verbum suum doceri, sacramenta fidelibus administrari, eaque quæ ad religionem spectant, tractari. Siquis enim templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: quod licet de spirituali templo quidam intelligant, tamen Corinthios grauius obiurgat, quòd in Ecclesia aut ebrij, aut ad ebrietatem conuenirent, 1. Corint. 11.

4 Quartò, Quàm sint ex hac Christi seueritate secuti euentus dispares. Nam exæcati propria malitia Pharisæi, non contenti ea actione, quæ, Hieronymo teste, omnia penè miracula superat, qua se solùm tantæ obiecit turbæ, elucescente nimirum radio diuinitatis, qui impios percellebat & in fugam vertit. Petunt à Christo signum, & miraculum, quo scilicet demonstret hanc functionem sibi à Deo Patre concessam: quemadmodum Moses, Gedeon, Phinees signis suam vocationem diuinitus cõfirmarunt. Christus autem, quum indignos eos apertò aliquo miraculo iudicaret, quòd sciret eos calumniaturos quicquid faceret, proponit illis sub obscuro enigmate suam passionem, & mortem, quam illi erant intentaturi, ac denique resurrectionem, quam ex diuinitate sua reciperet, propter iustificationem nostram, Roman. 4. Quæ sublimia mysteria carnales, qui non percipiunt ea quæ sunt spiritus Dei, & animales qui non sapiunt ea quæ De eisunt, Iudæi non poterant as-

*Nō peccat,
qui loca sa-
cra ad eunt
orandi causâ,
sū, contra
Anabaptis-
tas.*

*Templum
Dei nō vio-
landum.*

*Carnales
percipiūt ea
quæ sunt spi-
ritus Dei.*

FERIA TERTIA

sequi, sed de temporali templo dici putabant. Discipuli verò, & quibus odio & invidia mens nondum erat ex cæcata, crediderunt, vt in illis ostenderetur iudicium: in his verò, misericordia. Venit enim Christus in hunc mundum, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, Iohan. 9. Illud tamen hoc loco obseruandum monet Euangelista, multorum fidem admodum fuisse dubiam & infirmam: quippe qui ex miraculorum consideratione nata tantum fuit, nec radices in ipsorum animis egerat. Proinde licet propensi admodum in Christum viderentur, tamen se non credebant ipsis, ipso facto ministros verbi monens, ne temerè se committant aures populari, aut ex vulgi opinione & existimatione se iudicent. Est enim Euripo magis varium vulgus.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE

QUARTAE QUADRAGESIMAE,

Epistola, Exod. 32.

Dent. 9.

Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens, Vade, descende, peccauit populus tuus, quē eduxisti de terra Aegypti, &c. Finis Epistolæ: Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.

*Iudeorū in
gratitudo.*



RO PONIT hæc Epistola tria.

I Primò, Detestabilem Iudeorum ingratitudinem, qua, neglectis omnibus Dei beneficiis, vt libertatis Aegyptiacæ, educationis per mare Erythræū, alimoniarū celestis, & protectionis diuinæ contra omnia ingruentia mala, leuissima occasione, ob diuturniorem Moysi, scilicet, absentiam, furibundo quodam impetu in idololatriam ferebantur, tanta vesania, vt pretiosissima quæque in eam impietatem profunderent; ex quo agnoscere licet quid improba possit cupiditas, malorū omnium radix, i. ad Tim. 6.

Fructus,

Porro ex hoc agnoscimus quos fructus producere solet populus Pastore desertus, nimirum, Dei neglectū, fidei contemptum, lasciuiam, impietatem, & idololatriam: *re solet popu-* lus Pastore sic hodie videmus non sine magno religionis Christianæ damno, florentissimas Respublicas Pastorū aut ab-